



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XLVIII. Vtrum actus contrarij spei sint peccaminosi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

nisi indirectè. Nimirum præcisè quatenus inde redundare potest illa alia diuersitas formalis infidelitatis. Quod ipsum, dictum itidem est, non nisi tribus modis contingere posse, quibus est communis infidelitas secundum conceptum genericum, continentem sub se totidem species infimas.

Ad 5. Conceditur paritas. Sed negatur, non opponi, tum spei, tum charitati, vitia similiter specie diuersa, vt infra exponetur præsertim circa spem.

QVÆSTIO XLVIII.

Vtrum actus contrarij spei sint peccaminosi?

IDENTVR non esse peccaminosi. 1. Quia omne peccatum consistit in nimia prosecutione proprij boni, cum auersione à Deo, vt habetur ex August. lib. 1. de lib. arbit. cap. vlt. Hoc autem conuenire nequit actui contrario spei. Quia de conceptu spei Theologicæ est, vt feratur in summum bonum proprium sperantis, vtque illud firmissimè amplectatur. Impossibile porro est, vt quis nimis prosequatur bonum proprium, per actum oppositum summæ prosecutioni boni sui boni. Impossibile igitur est, vt quis peccet per actum oppositum spei.

2. Absque fide promissionum diuinarum sperare nemo potest. Quia spes dependet essentialiter à fide, quoad omnes suos actus, vt dictum est supra q. 34. At neque cum fide promissionum diuinarum stare potest actus contrarius spei. Quia qui certo, ac infallibiliter cognoscit existentiam causæ boni desiderati, eandemque causam esse omnino sufficientem, & optimè dispositam ad illud inducendum, nequit desperare de futuritione talis boni. Nec enim fieri potest, vt videns arborem optimè dispositam intrinsecè, & extrinsecè ad ferendos fructus, desperet de fructibus, & sic de similibus. Ergo neque sine fide, neque cum fide dare potest simultanea potestas proxima ad actum spei, & ad actum oppositum. Est autem de ratione actus peccaminosi, vt sit liber, vtque procedat à potentia proxima simultanea ad ipsum, & ad oppositum. Ergo actus oppositus spei in nullo euentu potest esse peccaminosus.

3. Actus oppositus spei, alij sperant plusquam oportet ex. gr. remissionem peccatorum absque emendatione, & penitentia, aut gloriam absque meritis, alij non sperant quantum oportet, ex. gr. auxilium gratiæ ad emendationem, & penitentiam, aut gloriam peracta penitentia, seu faciente peccatore, quantum in se est. Neutri autem actus videntur peccaminosi. Quia priores actus procedunt ex magna estimatione misericordiæ, & meritorum Christi; posteriores verò ex magna pariter estimatione iustitiæ Dei, & enormitatis præcedentium peccatorum; ac proinde utrumque genus actuum procedit ex bona radice. Repugnat autem actus procedentes ex bona radice esse malos. Quia *arbor bona non potest malos fructus facere*, ex Matth. 7. 18.

4. Omne peccatum est contra legem Dei, quæ continetur in Decalogo. In decalogo autem nullum est præceptum de spe.

Art. 1. Respondetur. Actus, & habitus oppositi spei nullum habent nomen vniuersaliter commune, sicut actus oppositi fidei; cum tamen expediatur de illis non minus, quam de istis sermonem prius communem, ac vniuersalem instituere indirectè, ne, iuxta observationem generalem Philosophi lib. 1. de part. animal. cap. 4. & 5. pleraque eadem, aut ferè repetantur de desperatione, & de præsumptione, quæ sunt differentia communiter contraria spei, si de utraque

solum agatur seorsim in specie, vt accidit communiter auctoribus in præsentia. Sermo verò vniuersalis euadit incommodus, ac valde impeditus absque voce simplici vniuersali. Possunt autem vitia opposita spei dici insperatio; sicut dicuntur infidelitas, quæ opponuntur fidei. Ita insperatio, si sit purè negatiua, id est, consequens ad totalem sperandi impotentiam, adeoque minimè libera, & certissime non est peccatum imputabile seorsim, secundum se, sed est pura catenu peccati. Quia libertas immediata indifferentiæ est de conceptu peccati imputabilis seorsim ratione sui. Quia de causa damnati non peccant ex eo præcisè, quod non sperant, vt supponitur communiter cum D. Thoma quæst. 20. art. 1. ad 3.

Art. 2. At insperatio immediatè libera, & contrariè opposita spei, seu coniuncta cum neglectu, ac depicientia motui sufficientis, ac necessarii ad sperandum, sufficienterque propositi, manifestum proculdubio, & grande peccatum est, contradicens præcepto illi naturali diuino, quod exprimitur Psal. 61. 8. *Sperate in eo omnis congregatio populi*; id est omnis genus hominum. Vbi est ponderanda contrapositio, quæ mox sequitur vers. 10. *Nolite sperare in iniquitate*. Supponitur nimirum, nullum mortalium absque aliqua spe viuere, ac operari posse. Necesse namque est, vt omnes præfigant sibi finem aliquem vltimum, ad quem deinde referant omnes suas operationes, vt dictum est quæst. 1. de act. hum. Hoc autem fieri minimè potest non præconcepta spe de consequutione eiusdem illius finis. Quia nemo desperans de fine, vt dicit Philosophus, seu quin speret consequutionem finis, operatur. Necesse igitur est, vt spes ab vnoquoque reponatur vltimatè, vel in re creata, & bono commutabili, vel in bono incommutabili, & increato. Primum horum est manifestè inhonestum, & valde dedecens, grauitèrque peccaminosum, vt apparet inter alia ex q. 2. de act. hum. Igitur alteri prætermitti non potest absque grauissimo peccato. Ex ipsa itaque natura rei apparet, contineri præceptum, & non solum consilium in prædictis verbis: *Sperate in eo omnis congregatio populi: Nolite sperare in iniquitate*. Eadem ponderatio cadit in illa Apostoli verba 2. ad Timoth. 6. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo*.

Art. 3. Bene porro habet, & coheret optimè, quod spei in Deo contraponit David spem in iniquitate, & Apostolus spem in diuitiis. Quia nomine iniquitatis, vt contraposita Deo, intelliguntur omnia, & qualibet bona temporalia, quatenus nemo, nisi inique spem in illis reponere potest, eisdemque adherere, tanquam potentibus inducere beatitudinem. Apostolus verò eadem omnia bona temporalia comprehendit sub nomine diuitiarum, quatenus illa omnia continentur in istis eminenter, vt dicit Philosophus de peccunia lib. 1. Polit. 6. & 7. Eadem vniformitas Davidis, & Apostoli apparet ex ratione spei reponende in Deo, superaddita ab utroque. Quia in Psalmo subiungitur: *Deus adiutor noster in æternum*. Et Apostolus dicit: *Sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*. Itaque ratio præcepti de spe Theologica fundatur in impossibilitate hominis, vt viuatur, & operetur absque spe aliqua de sua beatitudine, & vltima felicitate, & in indecentia, ac fæditate, vt eam spem committat rebus creatis, & non potius Deo. Quia de causa nemo potest talem spei deuiationem facere in sensu composito timoris Dei, vt colligitur ex illo Eccli. 2. 9. *Qui timeris Dominum, sperate in illo*.

Art. 4. Ex his apparet, præceptum de spe vltimi finis reponenda in Deo consequi necessariò ad naturam humanam secundum se, vt tradit Suarez disp. 2. de spe sect. 1. fine, destitutus, vt ipse dicit, priorum auctorum exemplo. Quia homo est intrinsecè ordinatus ad

ad Deum, ut ad ultimum suum finem, atque ad ipsum tenetur tendere per omnes suos actus, ut liquet ex dictis quaest. 2. & 6. de act. hum. Id autem praestare minime potest, nisi praesentis spe consequendi eundem finem, ut dictum modo est, & declarabitur magis q. 51. At spes de consecutione Dei fundari non potest in aliquo alio praeter Deum. Quia solus Deus Deum dare nobis potest. Manifestum siquidem est, nihil creatum ad id sufficere. Necessaria igitur est homini, ex natura ipsa rei, spes fundata in Deo, ut in suum finem tendere, eundemque consequi possit. Igitur insperatio hoc habet ex natura sua essentialiter, ut prius hominem ultimo suo fine, quo solum peccatum priuare potest, & cuius inducendi, ac excludendi vis est mensura totius bonitatis, & malitiae moralis, ut dictum est q. 20. de act. hum. ac proinde insperatio ex sua natura essentialiter est peccatum.

Art. 7. Dicendum hinc ulterius consequenter est, supposita eleuatione hominis in finem supernaturalem, prout datur de facto, subsequi similiter ex natura rei praecceptum obligans ad actum spei supernaturalem, ac per se infusam. Quia qui est eleuatus a Deo ad finem ultimum supernaturalem, eumque habet sibi unicum propositum, perinde tenetur conari ad illum, atque ad eundem ordinare omnes suas operationes, sicut dictum est, teneri, ex sua praecise natura secundum se, ad finem ultimum pure naturalem. Perinde verò praestari id minime potest relatè ad finem supernaturalem absque spe infusa, & supernaturali; atque dictum est absque spe naturali in Deo reposita, tantundem proportionaliter praestari minime posse relatè ad finem naturalem. Est enim utrobique proportionalis ratio, prorsus eadem, ut per se patet. Praecceptum igitur de spe Theologica supernaturali, ac per se infusa est de iure naturali diuino, ex suppositione eleuationis, qualis datur de facto, estque eidem eleuationi essentialiter consentum, sicut naturae humanae secundum se est insuperabiliter annexa obligatio, ne finem suum ultimum reponat in rebus creatis, neve affectu suo illis unquam adhaereat, tanquam summo, ac supremo, & ultimo suo bono.

Art. 6. Praecceptum illud obligat indirectè, quoties urget obligatio delendi peccata praeterita per iustificationem subsequentem ad ipsa, necnon cum occurrit tentatio, cui est moraliter, aut omnino impossibile resistere absque secuto spei actualiter stabilientis, ac roborantis animum. Verum peccatum solius omissionis, aduersus huiusmodi obligationem, non excludit habitum spei, nec pertinet, ex sua natura, determinatè ad habitum vitij oppositi spei, ideoque non agitur de eo directè in praesenti. Idem igitur praecceptum obligat rursus directè ad non eliciendum actum reiectiuum, & contemptiuum potentiae, ac misericordiae diuinae, diuinarumque promissionum; atque eatenus est praecceptum negatiuum obligans semper, & pro semper. Quia talis actus est intrinsecè malus, utpote reiectiuus, ac contemptiuus boni infiniti, eiusdemque postpositiuus respectu boni finiti, ac commutabilis.

Art. 7. Istud praecceptum incipit obligare cum primum innotescit per fidem, Deum promittere nobis dona gratiae, & gloriae, ut ipsum consequi, eodemque aeternum frui valeamus, neque pro eo primo instanti est separabilis ommissio actus formalis spei Theologicae ab actu opposito reiectiuo, & contemptiuo promissionis eius diuinae, ideoque grauissimè peccaminoso. Dictum namque est, neminem quidquam agere, aut omittere posse, quin praetendat aliquid tanquam ultimum suum finem, neque istam praetentionem finis; aut aliquam aliarum rerum, aut actuum, ordinationem ad eundem finem dari posse, nisi praeccepta spe de consecutione talis finis. Quapropter, si praehabita notitia certa de donis gratiae, & gloriae

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

nobis a Deo promissis, atque de ultimo fine nostro consistente in visione, & amore Dei, siue sub hoc ipso conceptu, siue sub aliquo alio multipliciter conuertibili cum eodem; intentio nihilominus dirigatur ad bonum aliquod creatum, vel etiam ad Deum praecise ut auctorem naturalem, tanquam ad supremum, & ultimum hominis bonum; aut spes beatitudinis collocetur in re aliqua creata, vel in Deo praecise, ut auctore naturali; eo ipso reicietur, & contemnetur, ut patet per se, beatitudo supernaturalis, seu omnipotentia Dei quatenus deuincta nobis per suas promissiones. Quod patet esse intrinsecè malum, & grauissimè peccaminosum. Praecceptum igitur de spe Theologica obligat determinatè pro illo primo instanti legitimè aeternorum manifestationis per fidem, neque fieri potest, ut omitatur pro tunc actus proprius huius spei, quin illi substitutur actus insperationis grauissimè peccaminosus, atque impossibilis cum habitu spei per se infuso.

Art. 8. Semel autem concepta intentio spei supernaturali, eademque in Deo vniuersaliter collocata legitimè, pro ultimi finis, & auxiliorum perducendum ad ipsum consecutionem, poterit deinde in progressu vitae spiritualis retineri habitus infusus spei, tamen nunquam renouetur amplius formaliter, imò etiam interponatur ommissio actus spei peccaminosa indirectè modo, qui indicatur nuper est art. 6. initio; aut committantur alia peccata mortalia aduersus virtutes morales. Quia prior ille actus spei manet habitualiter per speciem memoratiuam sui, ut elicit prius, & nondum retractati, & repetitur de nouo saltem virtualiter, quoties fit nouum aliquod opus salutare, ut colligi potest ex principiis modo praelatis, & explicabitur magis infra. Eadem ratione manet identè habitus spei, tamen omittatur actus formalis eiusdem spei circa alia sperabilia particularia promissa a Deo, dummodo non intericiatur actus reiectiuus, ac contemptiuus potentiae, & bonitatis diuinae, diuinarumque promissionum, aut alicuius diuinae promissionis, nolendo illis amplius inniti, aut volendo spei ultimè reponere in aliqua alia re, aut in alio praedicato diuino. Solus namque huiusmodi actus est directè contrarius spei Theologicae, atque destructiuus habitus eiusdem spei per malitiam ipsi contrariam, atque contradicentem praeccepto spei, quod dictum est esse de iure naturali diuino ex suppositione eleuationis. Hac igitur ratione, & modo actus oppositi spei sunt peccaminosi.

Ad 1. Nemo peccat, quia vult sibi bonum absolute, omnibusque secundum realitatem consideratis, maius quam par est, aut quia nimis amat, quod par est velle. Tenemur enim prosequi summo amore summum bonum nostrum, quod est Deus, & sub ipso nos, ac deinde cetera omnia; quae nos ad ipsum perducunt, ita ut iis omnibus amatis hoc ordine, quantum absolute possumus, usque adeo non peccemus, ut potius simus propterea maxime laudabiles, maximeque mereamur. Peccamus igitur, quia bonum exiguum, temporale, ac citò perituum praeposimus amore, & electione nostra maximis nostris bonis, aeternumque mansurum in se, vel in suo effectu, & quia succumbimus difficultatibus praesenti contempta, aut contemptim praetermissa potentia, & bonitate, atque promissionibus adiutoris, & remuneratoris nostri Dei. Hoc est, peccamus amore nostri, & bonorum nostrorum temporalium non absolute nimio, sed nimio, ut exprimit ibi, & alibi saepe Augustinus comparatione Dei, aeternorumque bonorum. Id autem fit, vel maxime per insperationem, uti explicatius tradetur infra. Nec enim repugnat, ut quis amore sui relatè ad bonum suum praesens, ac facile, impediatur maiorem amorem sui relatè ad bonum suum maius, sed absens, ac difficile, uti expeditur


FFF 2 fitum

fitum est quæst. 12. de act. hum. art. 7. & ad 2. & alibi non semel.

Ad 2. Quod certò, ac euidenter prænotatur prouenturum, idque independenter à cooperatione nostra, & libera, & difficili, ac ardua, quales sunt fructus arboris iam ad illos disposita totaliter, non speratur liberè libertate saltem contrarietatis. Quia in hoc casu nihil est, quod impellat ad insperationem. Alia ratio est de iis, quæ certò quidem, sed obscure, & dependenter à nostra cooperatione non solum utcunque libera, sed difficili insuper, ac ardua, prænotantur prouentura. Hæc enim sperantur liberè libertate, & contradictionis, & contrarietatis, ut apparebit ex quæstione sequenti.

Ad 3. Deus promittit nobis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; id est maiora iis, quæ ratione naturali cogitari à nobis possunt, eaque est paratus conferre, nisi impediantur peccatis nostris. Promittit præterea similiter gratiam sufficientem ad delenda qualiacunque, & quantacunque peccata. Fieri igitur non potest absque iniuria, & contemptu Dei promittentis, & absque mortificatione, & prosecutione inordinata alicuius bonitatis creatæ, ut quis, vel speret aliquid ultra ea quæ promittuntur à Deo, vel desperet de promissis à Deo. Sufficit autem ad actum absolutè vitandum quolibet admixtio mali, atque arbor bona, si ei subinferatur arbor mala, potest malos fructus facere, si quidem nomine arboris bonæ, & malæ intelligatur obiectum quoque de se bonum, & malum.

Ad 4. De præcepto spei lato sæpe à Deo satis liquet ex dictis superius ab art. 2. exque aliis scripturæ locis. Rationem, ob quam non exprimitur in Decalogo, sed ad eum præsupponitur, tradit D. Thomas q. 22. art. 1. similem illi, quæ supra exposita est circa infidelitatem. Nempe ante promulgationem legis quoad substantiam ipsius oportet præsupponere, tanquam præambulum, & fundamentum eius; tum subiectionem subditorum ad legislatorem, & recognitionem iudiciariæ potestatis in ipso, quod fit per fidem; tum dispositionem, & vigorem animi in eisdem subditis ad exhibenda opera conformia legi, quod fit per spem præmiorum, & felicitatis, si intentioni legislatoris satis fiat. Oportuit igitur, ut obligatio spei in Deo reponenda non induceretur in Decalogo, qui continet substantiam legis modo præceptiuo, sed ad eum præmitteretur per promissiones præmiorum, ac donorum, in quibus promissionibus implicite, ac virtualiter continentur comminationes penarum. Cæterum stabilitæ semel hoc modo substantia legis, multipliciter deinde firmatum, est eius fundamentum, obligando pluries ad spem modo etiam præceptiuo, ut liquet ex locis scripturæ iam præindicatis ex parte, ac facile obuiis.



QVÆSTIO XLIX.

Utrum actus contrarij spei sint composibiles cum fide.

IDENTUR esse impossibiles. 1. Quia qui præfert magnitudinem suorum peccatorum magnitudini diuinæ potentie, ac misericordie, eo ipso negat infinitatem simpliciter potentie, ac misericordie Dei, adeoque est infidelis. Qui autem desperat de remissione suorum peccatorum, præfert magnitudinem eorum magnitudini potentie, & misericordie Dei. Ergo qui ita desperat, eo ipso est infidelis. Eadem verò proportionalis ratio est, ut patet

consideranti, de quibuscumque aliis actibus oppositis spei. 2. Fuga, seu auersio, ac desertio æternorum bonorum opposita eorum desiderio est impossibilis cum quolibet eorumdem assensu. Ergo actus oppositi spei æternorum bonorum sunt similiter inconpossibiles cum assensu fidei circa eadem. Patet antecedens, quia fuga oritur ex opinione mali in obiecto, ac proinde est impossibilis cum opinione, & assensu bonitatis in eodem. Patet item consequentia, quia spes solum superaddit simplici desiderio firmitatem, ac certitudinem aduersus difficultates. Manifestum autem est, causam firmitatis eius, ac certitudinis esse fidem.

3. Quod in intellectu est verum, & falsum, hoc est in voluntate bonum, & malum; sicut quod in intellectu est affirmatio, & negatio, hoc est in voluntate prosequutio, & fuga, ut dicitur lib. 6. Ethic. cap. 2. Unde voluntas bona est conformis intellectui vero, & mala falso, ut indidem assumit D. Thom. q. 20. art. 1. Dictum autem est, actus oppositos spei esse malos, sicut actus ipsius spei sunt boni. Ergo sicut actus ipsius spei sunt conformes fidei de origine, & possibilitate latius, & gratiæ, ac remissionis peccatorum ex Deo, atque ab ea fide essentialiter dependent: ita necesse est, ut actus oppositi spei sint conformes contrariæ existimationi circa eadem obiecta, utque ab eadem existimatione, quam patet esse impossibilem cum fide, essentialiter dependant.

4. Corrupta æstimatione circa aliquod particulare, necessariò corrumpitur æstimatione circa vniuersale, sub quo continetur illud particulare. Nec enim fieri potest, ut quis iudicet ex. gr. possibilem esse omnibus peccatoribus reparationem post lapsum, ex gratia Dei, atque hanc gratiam iisdem omnibus sufficienter adesse, quantum est ex parte Dei, quæ est vniuersalis æstimatione recta fidei, simulque iudicet, eandem nihilominus reparationem esse impossibilem sibi hic, & nunc, atque deesse gratiam eatenus sufficientem, quæ est æstimatione particularis corrupta, & falsa. Fieri namque non potest, ut quis simul assentiatur contrariis propositionibus. Qui autem elicit actum contrarium spei, ex. gr. actum desperationis circa remissionem suorum peccatorum, habet eatenus æstimationem particularem corruptam, quod hic, & nunc sit impossibile sibi consequi remissionem suorum peccatorum, ut tradit D. Thom. eadem q. 20. art. 2. & plerique alij ibidem. Habet igitur eo ipso corruptam æstimationem etiam vniuersalem circa idem punctum, ac proinde est eo ipso infidelis, utpote habens sensum contrarium veritati fidei.

5. Necessariò amittitur fides amisso motu pietatis affectionis, per quem imperatur, ac inducitur, & conseruatur ipsa fides. Eiusmodi autem motus amittitur amissa spe per actum ipsi contrarium. Quia motus pietatis affectionis, omnisque actus ordinatus ad salutem vitæ æternæ nititur spe futurorum bonorum, ipsiusque ultimi finis supernaturalis. Nempe sublata spe finis, nullus superest locus exhibitioni, & ordinationi mediorum ad finem. Quia nemo desperans de fine operatur, ut dicit Philos. lib. 2. Rhet. c. 11. Necesse igitur est, ut amissa spe per actum ipsi contrarium, amittatur quoque fides, eique succedat infidelitas.

Att. 1. Respondetur. Voluntas est indifferens ad vtrumlibet eorum, quæ sibi proponuntur tanquam inuicem impossibilia, simulque tanquam excedens, & excessum mutuo quoad aliquid; retinetque eam libertatem indifferentiæ in sensu composito eorum omnium, cum quibus est composibilis cuiusmodi propositio duorum talium extremorum, ut liquet ex dictis qu. 12. & 13. de act. hum. Occurrunt autem, & proponuntur sæpe voluntati, in sensu composito fidei, motuum sperandi, & motuum oppositorum cum excessu.